7v

pater et filius. Non dictum est et: si cognovissetis me et patrem meum cognosceretis;
Utique enim quia nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognovistis me et patrem meum cognosceretis; Quoniam ego per quem veniatur ad patrem perducam vos ad eum, ut ipsum etiam cognosceretis; Sed quoniam illi sum omnino simillimus. Amodo cognoscetis eum, cum cognoscetis me; et vidistis eum, si oculis cordis vidistis me; Quid ergo est quod dicis phylippe, ostende nobis patrem et sufficit nobis. Tanto inquit tempore vobiscum sum et non cognovistis me.
Philippe qui me vidit, vidit et patrem;
Quod si ad te multum est hoc videre, saltim quod vides crede. Quomodo enim dicis inquit ostende nobis patrem. Si me vidisti qui omni modis similis sum, vidisti illum cui similis sum; Quod si videre non potes, nonne saltim credis, quia ego in patre et pater in me est. Poterat hic dicere phylippus; Video quidem te, et credo te esse simillimum patri; Sed numquid arguendus et obiurgandus est, qui cum similem videt, etiam illum cuius est similis vult videre; Similem quidem novi, sed adhuc alterum sine altero novi;
Non mihi sufficit, nisi et illum cui est iste similis noverim; Ostende itaque nobis patrem et sufficit nobis; Sed ideo magister discipulum arguebat, quem cor postulantis videbat; Tamquam enim melio[r] pater esset quam [illegible] filius.

ita phylippus patrem nosse cupiebat; et ideo nec filium sciebat, quo melius aliquid esse credebat; Ad hunc sensum corrigendum dictum est, qui me videt videt et patrem; Quomodo tu dicis ostende nobis patrem. Video quomodo tu dicas; Non alterum queris videre similem, sed illum putas esse meliorem; Non credis quia ego in patre et pater in me est. Cur in similibus distantiam cupis cernere, cur inseparabiles separatim desideras nosse. Deinde non solum ad phylippum, sed ad eos pluraliter loquitur que non sunt in angustias coartanda, ut adiuvante ipso diligentius exponantur;

VERBA QUAE EGO LOQUOR VOBIS, A ME IPSO NON LOQUOR. USQUE AD ID: SI QUIS? PETIERITIS IN NOMINE MEO HOC FACIAM.

Audite auribus, percipite mentibus dilectissimi loquentibus quidem nobis. Sed ipso docente qui non recedit a nobis dominus dicit, quomodo cum legeretur audistis; Verba que ego loquor vobis, a me ipso non loquor;
Pater autem in me manens ipse facit opera;
Ipsa vero et verba et opera sunt; Plane ita est. Nam perfecto? qui proximum loquendo edificat, bonum opus operatur;
Sed quid est a me non loquor, nisi a me ipso non sum qui loquor. Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit;
Pater enim deus non est de aliquo; Filius autem deus est quidem patri aequalis deo, sed de patre. Ideo ille deus, sed non de deo. lumen

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.61, 7v – Collection of homilies
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-mhig/5104/48720)